UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum, Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute, Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Elogia Societatis Iesv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

Visual Library

ELOGIA SOCIETATIS IESV.

NEc ſegnius Eccleſiaſtico hoc, quem vocant Ordine, in tuenda, & amplificanda Societatis dignitate Secularium Principum, & Rerum publicarum Ordo politicus laborauit, adeo, vt non ſatis ille ſibi aliquando in procuranda, & defendenda Sociorum apud omnes late populos exiſtimatione temperaſſe videatur. Et ſanè neſcit hic quo ſe vertat calamus: æmulationis honeſtiſsimæ ingerunt ſe mihi potentiſsima Imperia, ac Cæſares: Regna, ac Reges: Reſpublicæ, ac Principes: Ciuitates, ac Magiſtratus: Concilia, ac Senatores: Tribunalia, ac Iudices: qui omnes certatim in extollenda Minima noſtra Societate, primas partes ſibi vendicare totis viribus enituntur. Verum ego à Principe Cæſarum dignitate exordior.